



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Attachment to Prot. N. 550/17 (9 March 2018)

Liturgical texts in honour of
Blessed Francis Solanus Casey, Priest,
approved for the Order of Friars Minor Capuchin
(Prot. N. 309/17; 12-IX-2017), in Latin, English and Spanish.

BEATI FRANCISCI SOLANI CASEY, PRESBYTERI

Bernardus Franciscus Casey in oppido Prescott in Visconsinia Fœderatarum Civitatum Americæ Septentrionalis die 25 mensis Novembris anno 1870 ortus est. 22 annos natus seminarium archidiœcesis Milvaukiensis est ingressus. Anno 1897, ad Capuccinos se contulit novitiatum incohans apud Sancti Bonaventuræ Detroitense claustrum, eique nomen Franciscus Solanus inditum est. Die 24 mensis Iulii anno 1904 presbyteralem ordinationem recepit, ea condicione ne confessiones auscultaret neve publice prædicaret. Annos sui ministerii egit apud Yonkers et Manhattan, in clastro Sancti Bonaventuræ Detroitensi, in Brukljniensi at Huntintoniensi claustris, multos fama sanctitatis suæ compellens et mirabiliis suis precibus attributis. Postquam pluries in valetudinarium est receptus, in clastro Sancti Bonaventuræ Detroitensi die 31 mensis Iulii anno 1957 obiit. Die 18 mensis Novembris anno 2017 beatificatus est.

De Communi pastorum: pro presbyteris vel sanctorum virorum: pro religiosis.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

E Decreto *Perfectae caritatis* Concilii Vaticani II de accommodata renovatione vitæ religiosæ

(Nn. 15.12-14)

Religiosi, membra Christi

Vita in communi agenda, ad exemplum primævæ Ecclesiæ in qua multitudo credentium erat cor unum et anima una, evangelica doctrina, Sacra Liturgia et præsertim Eucharistia refecta, in oratione et communionem eiusdem spiritus perseveret. Religiosi, ut membra Christi, in fraterna conversatione honore se invicem præveniant, alter alterius onera portantes. Caritate enim Dei in cordibus per Spiritum Sanctum diffusa, communitas ut vera familia, in nomine Domini congregata, Eius præsentia gaudet. Caritas autem plenitudo legis est ac vinculum perfectionis, eaque scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam. Immo fratrum unitas Christi adventum manifestat magnaque virtus apostolica ex ea manat.

Castitas *propter regnum caelorum*, quam religiosi profitentur, tamquam eximium gratiæ donum aestimanda est. Cor enim hominis singulari modo liberat, ut magis accendatur caritate erga Deum et homines universos, ideoque est peculiare signum bonorum caelestium necnon medium aptissimum quo religiosi alacriter servitio divino operibusque apostolatus sese dedident. Sic ipsi coram omnibus Christifidelibus mirabile illud evocant connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum quo Ecclesia unicum sponsum Christum habet.

Oportet ergo ut religiosi, professionem suam fideliter servare studentes, verbis Domini credant et, Dei auxilio confisi, de propriis viribus ne præsumant, mortificationem sensuumque custodiam adhibeant. Media quoque naturalia ne omittant, quæ mentis et corporis sanitati favent. Ita fit ut falsis doctrinis, quæ continentiam perfectam tamquam impossibilem vel humano profectui nocivam ostentant, non moveantur, et omnia quæ castitatem in periculum adducunt, instinctu quodam spirituali, respuant. Meminerint insuper omnes, præsertim Superiores, castitatem securius servari cum inter sodales vera dilectio fraterna in vita communi viget.

Paupertas voluntaria propter Christi sequelam cuius est signum praesertim hodie multum aestimatum, a religiosis diligenter excolatur atque, si opus sit, novis etiam formis exprimat. Per eam participatur paupertas Christi, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus. Ad paupertatem autem religiosam quod attinet, haud sufficit in usu bonorum Superioribus subiici, sed oportet ut sodales re et spiritu sint pauperes, thesauros in caelo habentes. In suo quisque officio communi legi laboris se sentiant obnoxios, atque, dum ita res victui operibusque eorum necessariae comparantur, omnem indebitam sollicitudinem proiciant et Patris caelestis Providentiae sese committant.

Religiosi per professionem oboedientiae plenam propriae voluntatis dedicationem veluti sacrificium sui Deo offerunt, et per illud constantius et securius divinae voluntati salvificae uniuntur. Inde ad exemplum Iesu Christi, qui venit ut faceret voluntatem Patris, et *formam servi accipiens* ex iis, quae passus est, didicit oboedientiam, religiosi, Spiritu Sancto movente, Superioribus, vices Dei gerentibus, in fide sese subiiciunt et per eos ad omnium in Christo fratrum ministerium ducuntur, sicut ipse Christus ob suam erga Patrem submissionem fratribus ministravit et animam suam posuit redemptionem pro multis. Ita, Ecclesiae servitio arctius devinciuntur et in mensuram aetatis plenitudinis Christi pervenire contendunt.

RESPONSORIUM

Cf. Rom 12, 1-12

R/. Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, *
Rationabile obsequium vestrum.

V/. Nolite conformari huic saeculo, sed transformamini renovatione mentis.*
Rationabile obsequium vestrum.

Oratio

Deus, qui providentia tua beatum Franciscum Solanum (Casey) ad imaginem Filii tui conformasti, ut pauperibus iuvandis indesinenter incumbere, concede nobis, ut, eius intercessione et exemplo, eodem studio ac laetitia proximo inservire valeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum.